

MUSEO N. III. 57
ACTA
ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Martii, Anno M DC LXXXII.

THE COMPARATIVE ANATOMY
of Stomachs and guts begun: by Nehemiah Grevv
M. D., Fellow of the Royal Society, and of the colled-
ge of Physicians.

i. e.

Inchoata Anatome comparativa ventriculorum &
intestinatorum: auctore Neh. Grevv M. D. Regalis Socie-
tatis & Collegii Medici Collega.

Londini in fol. 1681.

Liber hic *Museo Societatis Regalis* a Clarissimo Auctore Appendi-
cis in modum annexus est, quo intestinatorum & ventriculorum
structuram, pro animalium eorumque alimenti varietate di-
stinctam exponit.

Cap. I exhibet anatomen *Ventriculi & Intestinatorum* sex Qua-
drupedum carnivororum, sc. *Mustela, Furonis, Putorii, Felis, Canis,*
Vulpis, in iisque ad tria imprimis respicit. 1. *Ad structuram & textu-*
ram harum partium, tam quoad substantiam plus minus membra-
nosam vel carneam, qua ratione intestina felis in musculare &
membranaceum dividuntur; quam quoad earundem secundum
tres dimensiones quantitatem: una cum respectivis earum diffe-
rentiis, cum mustela simplicissimam intestinatorum habeat confor-
mationem, canis & vulpes solum obtineant cœcum, omnia careant
colo.

H

2. *Ad*

2. *Ad glandulas* intestinorum horum animalium, non in mustela quidem, at in cæteris, præsertim quatuor ultimis, copiosas; easque vel *sociatim* in racemos junctas, & has fere minores, ex opposito insertio- nis vasorum in intestina sitas, quorum racemorum quilibet *pancreas intestinale* vocari possit, saltem quod non unum communem ductum habeant, cum singulæ glandulæ propria habeant sua orificia mucosi liquoris excretoria: vel *separatim* hinc inde dispersas, easque majores ac ampliores. 3. *Ad folliculos* binos sive sacculos prope anum sitos, quibus omnia hæc animalia gaudent, & quos existimat proprios saltem carnivoris quadrupedibus, interius cavos, & liquorem, foetorem animali proprium spirantem continentes; quos analogos arbitratur istis folliculis, in quibus Zibethum in Civetta continetur. Speciatim in mustela expansus est super hos folliculos sphincter, qui eos & anum una comprimendo, ad simultaneam evacuationem has partes cogit.

Cap. II. Ventriculum & Intestina Talpæ, quæ insectis vesci videtur: it. *Erinacei, Sciuri & Gliris*, qui principaliter fructuum voraces, considerat.

Cap. III. Ubi de Ventriculo & Intestinis animalium, quæ simul sunt frugum & graminis voracia, ut *Cuniculi, Equi & Porcelli*, tractat, inter alia in genere, simplex esse cæcum horum animalium, non duplex, contra Glissonium observat. In specie in Cuniculi intestinis structuram Cæci mirabilem, tam quoad magnitudinem, quam quoad valvulam, in linea curiose spirali, ab uno extremo Cæci ad alterum extensam: Gulæ Equinæ amplitudinem, crassitiem, ruborem &c. proprietates Gulæ in omnibus voracioribus animalibus; Intestinorum, præsertim Cæci, & quasi triplicis Coli singularis structuram; tam quoad amplitudinem, quam quoad quadruplex ligamentum, dicta intestina in debita figura conservans, & in plures cellulas ampliores & angustiores contrahens. Post Porcellini ventriculi quasi duplicis, ventrem magnum instar carnivororum quadrupedum figuratum & musculare, ibique ex opposito pylori situatam rotundam carunculam, magnitudinis avellanæ, ceu obturaculum pylori, partem huic animali propriam; appensumque majori illi, simili modo ac cæcum aliis intestinis, ex sinistro latere alium minorem ventriculum, ob id cæcum vocandum, & mediante ligamento muscolari, tanquam semivalvula a priori

priori separatim describit. Quoad intestina in sex vel septem differentias discriminanda, ex omnibus quadrupedibus, porcelli & equi Cæco peculiare esse notat, quod ejusdem cum Colo sint structuræ: sicut ex omnibus quadrupedibus, his ipsis & cuniculo (forſan etiam aſino ac lepori) proprium ſit, quod geminum habeant Colon.

In *Cap. IV.* de animalibus quadrupedibus graminivoris, *Ove* & *Vitulo* agit, ubi conſiderandam proponit gulæ ovinæ curioſam texturam ex quinque membranis: quarum intima & extrema cuticulares ſunt, illa inſuper glanduloſa, candida, friabilis. Cui proxima eſt nervoſa, in hoc & quibusdam aliis animalibus adeo denſa, ut proprie corpus nervoſum dici queat, compoſitum ex fibris partim ſecundum longitudinem gulæ extenſis, partim per tranſverſum ad binas muſculares membranas excurrentibus: adeoque tendo ſit duarum proximarum muſculoſarum membranarum, quarum fibræ nec ſpirales ſimpliciter ſecundum *Stenonem*, nec decuſſatæ tantum ſecundum *Williſium*, ſed mixta quadam ratione, ex adjecto ab Auctore ſchemate rectius intelligenda, inſtar ſcuticæ, qua equi incitantur, formatae ſint. His quatuor ventriculi & inteſtinorum ſex vel octo connectuntur. Cum modo recenſitis, quoad numerum, texturam & figuram, Gula & Ventriculus *Vituli* conveniunt: inteſtina vero in ſeptem vel novem partes diviſibilia, multum ab iſtis Ovium differunt; ſpeciatim horum partes tertia, quarta, & quinta, glandularum copia præ iſtis ovium maxime conſpicuæ ſunt.

His præmiſſis, *Cap. 5. 6. & 7.* uſum harum partium, quantum ex anatomica ſtructuræ earum conſideratione explicabilis eſt, ſubjungit, pluribus Gulæ officium deglutiendi, evomendi, eructandi vindicans: oſcitationem & expuitionem contra *Williſium* ab eadem removens: contra quem pariter genuinum gulæ motum, tam ſub deglutione deorſum, quam ſub evomitione ſurſum exponit, idque præſertim eleganti, quam ſupra attigimus, gulæ *Ovillæ* mechanica. Simili modo ex ſtructurâ partium ventriculi, præter alios uſus, quintuplicem ejus motum, corrugationem, adſtrictionem, undulationem, convulſionem (pro vomitu) & voluntariam motionem (pro ruminatione) eruit: modum ejus perſpicue ubique explicans. Idem circa inteſtinorum uſum & officium, ſecundum eorum ſtructuram diverſimode exponendum agit. Speciatim Cæco inteſtino triplex officium aſſignat; exactiorem

H 2

alimen-

alimentorum coctionem. 2. alimentorum & excrementorum receptionem. 3. contenti fluidi ejectione, excernendorum ex inferioribus promotam excretionem. Glandularum vero intestinalium mucositas tribuit hunc usum, ut lubrica intestina reddat, & ceu quoddam fermentum alimentorum colliquationem adjuvet; sicut in Diarrhoëis naturalibus & artificialibus per illas ipsas humoris evacuandi, ex sanguine fiat separatio.

Cap. VIII. Ventriculos & intestina Avium examinat. Ex quorum quadraginta speciebus dissectis, tantum tredecim recenset Anatomen. 1. *Cassovarii* (avis nobis incognita) 2. *Ullula*. 3. *Cuculi junioris*. 4. *Galli gallinacei*. 5. *Columba domestica*. 6. *Monedula*. 7. *Sturni*. 8. *Luteola*. 9. *Rubicilla*. 10. *Torquilla sive Verticilla*. 11. *Terraneola*. (*Calandre Carletoni*) 12. *Junconis sive passeris arundinacei*. 13. *Hirundinis domestica*.

Circa horum Anatomen in genere observat, quod omnes fere aves bina Cæca habeant, quæ obtusos faciant angulos cum recto, contra *Willoughby's Ornitol.* Speciatim omnia gallinaceorum anatumque genera duo cæca admodum longa obtinere, quæ in gallo in rectum hient, sive aperta sint. *Torquillam* vero cæco carere. Rectum prope anum in quamplurimis avibus sylvestribus amplum, adeoque fere pyriforme esse. *Cassovarium, cuculum, anatem sylvestrem, querquedula*, & omnes hujus species, ingluvie destitui.

Porro quoad *Galli Gallinacei* Ventriculum, in multis consentit Autor, cum iis, quæ *J. J. Peyerus* circa ventriculi gallinacei Anatomen aliquot ab annis prodidit: (quam ipsam tamen, anno demum post lectam hanc ab Autore coram Soc. Reg. Anatomen, sequenti lucem aspexisse asserit) In hoc tamen diversus, quod binis partibus muscutorum, sive quatuor illis, molam ventriculi juxta Peyerum conformatibus, ab Autore vero molaribus appellatis, adhuc duos alios musculos, quorum unum ex parte sinistra, *deductorem*, alterum ex parte dextra, *reductorem* appellat, superaddit. Circa *Columbas* vero notat earum ingluviem; in *domestica*, parte inferiore, sex vel septem glandulosis laciniis, eleganti figura expressis, concinne instructam: In *Columba Turcica* vero curiose præ cæteris conformatam & triplici quasi ventre constantem seu cavitatem: In *Columba* item *gutturosa* similis fere figuræ; gulam vero admirandæ extensibilitatis, modo tan-

tantillum infletur. Ventriculos harum similes gallinaceo memorat. Circa intestina *Monedula*, observat fibras musculares primarias, secundum longitudinem tenuium, & ex parte Recti quoque, curiose esse sinuatas sive laciniatas, qualem structuram supra in intestinis *Talpæ* quoque notaverat, quibus aliæ circulares, istas lacinias æqualiter dividentes, superinstratæ sint. Similem fibrarum intestinalium conformationem in aliis pluribus aviculis, utut non ubique eodem modo, nec eodem loco, v. g. in avicula *Anadavadenfi*, *rubicilla*, *corruca*, *motacilla*, *passere solitario*, *passere domestico*, *fringilla*, *sturno*, *luteola*, *hirundine* &c. advertit.

His sequente *Cap. 9.* usum istarum partium, in specie illarum ventriculi Gallinacei, & sinuatarum fibrarum intestinalium, subiungit.

Denique *Cap. 10.* Ventriculum & intestina Piscium considerat. Circa quæ duo imprimis singularia notat: 1. multos non habere ventriculum, scil. in specialem cavitatem expansum, aut saltem exiguum, ut *Salmo*, *Tinea*, *Barbus*, *Abramus* sive *Cyprinus latus*. 2. Multos plura habere cœca, tria vel quatuor *Percam*, novem vel decem *Rubellionem*, supra triginta *Truttam*, supra quadraginta invicem coacervata, *asellum majorem* & *mollem*, *Salmonem* circiter octoginta, intestino crassiori successive, simili fere modo, ac juba collo equino adhærentia, quæ ab aliis quibusdam pro tot pancreatis habita fuerunt.

JOH. CHRISTOPHORI WAGENSEILII,
TELA IGNEA SATANÆ.

Altdorfi Noricorum. A. 1681.

Prostat Noribergæ apud Jo. Hoffmannum & Francofurti ad Mœnum apud Jo. David Zunnerum in 4to.

CONTinentur hoc Volumine arcani & horribiles Judæorum adversus Christum Deum & Religionem Christianam Libri *avéndo-toi*, quos ex Europæ Africæque latebris erutos in lucem hoc fine protrudit Autor, ut Theologi Christiani ad tanto rectius meditandum ea, quæ conversionem miserrimæ Gentis Judaicæ juvare possunt, occasionem nanciscerentur. Siquidem ex istis ita productis Libris fati-

H 3

super-

superque innotescit, quid in Christiana religione Judæi desiderent ac reprehendant, quidve ex Cacodæmonis suggestione obstare arbitrentur, quo minus illam tanquam veram possint admittere.

Sunt autem Librorum istorum numero quinque. *Primus* est *Carmen Memoriale Libri Nizzachon a R. Lipmanno*, qui seculo post Christum natum XV vixit, *compositi*. Scripserat is primo Librum prolixum, cui *Nizzachon* h. e. *Victoria* nomen fecerat, eo quod in eodem se omnes Christianorum copias, quas in sui sacrorumque suorum defensionem ex Veteri Testamento legere solent, fuisse & coniecisse in turpem fugam sibi visus fuerat. Idem confecto infelici hoc opere, memoriæ tribulium consulturus, potiora ejus argumenta strictim & breviter *Carminè* complexus est, idque ediscendum proposuit, ut responsiones adversus Christianos tanto magis in promptu haberentur, si ex improvviso cum his agendum esset. Ipsum Librum Judæis ereptum pridem publici juris fecit *Theodoricus Hackspanius*: Carmen autem *Lipmanni*, quod Hackspaniano MS. deerat, *Wagenseilius* ex *Guil. Henr. Vorstii*, & uno suorum Codicum primus in lucem emisit.

Alter est *Liber Nizzachon Vetus Autoris incogniti* ex MS. Bibliothecæ Argentoratensis, a Dn. *Sebastiano Schmidio* communicato, qui uti Hackspaniano multo antiquior (nam Seculo XII hunc Autor factum enixus esse videtur) ita & longe nequior ac plane talis, quem omnia secula obstupescant. Habuit eundem hunc Librum *Sebastianus Munsterus*, & quia is complura ex eo fragmenta Commentariis in Vetus Testamentum & Matthæi Hebraicum Evangelium inseruerat, ideo pridem desiderium cepit Eruditos integro scripto potiundi. De cetero totus refertus est mendaciis, quique ipsa Veteris Testamenti testimonia mire corrupta ac depravata passim exhibet, idque ex industria Autoris, nullo Scribarum vitio; unde & aliqua pronunciata pro divinis obtrudere laborat, quæ nusquam in S. Codice compareant.

Tertius ex eodem Codice Argentoratensi exhibet *πλοκήν* five Cinnum quendam ex duabus Disputationibus, ob stylum, homines altercantes, & ipsam rem, plane diversis implexum confusumque, sed a *Wagenseilio* evolutum ac bene distinctum. *Prior Disputatio* inter *R. Jechielem* & *Nicolaum* quendam, qui a Judæis ad Christianos secesserat, Lutetiæ habita: *Posterior* vero inter *Nachmanidem* & *Antagonistas*

gonifas Fratrem Paulum, Fratremque Raymundum Martini, illum ipsum, cujus Liber Pugio fidei inscriptus in omnium manibus versatur, præsente Jacobo Tarmaconensis Provinciae Rege instituta fuit. Utraque disputatio eodem ævo peracta, & hæc quidem anno post Christum natum 1263. Prioris contentionis vix alii meminerint: posterior inter Christianos famosa est, deque illa Franc. Bosquet in Epistola, quæ Pugioni fidei præfixa est, ad Josephum de Voisin nonnulla perscripsit.

Quartus est Chisuk Emuna h. e. liber Munimen fidei autore R. Isaaco Filio Abrahami, cujus in Linguam Hispanicam conversi, Theologus magni nominis Job. Müllerus in optimo Libro, quem adversus Judæos Germanice conscripsit, passim non meminit tantum, sed & fere totum confutavit. Dignum sane hoc munimentum est, in cujus disturbancem Christiani nervos intendant suos, quando non extat aliud Judæorum in hoc infelici argumento scriptum, quod magis eos in erroribus suis confirmet, veritatisque agnitionem impediat. Ipsa Lectio facile cuique prodit, circa medium Superioris seculi demum conceptum esse tetrum ac stygium hunc foetum. Sed quo recentior, eo est nequior, ferocior & ad fucum faciendum aptior. Wagenseilius ipsum ex MS. Africano, quo ipsum in Abyla versantem Judæus quidam donaverat, primus edidit.

Quintus & Ultimus est Liber Toldos Jeshu, in quo totam vim, nervosque universos ac artus suæ exercuit erga Deum blasphemiae pater omnis doli ac fraudis Diabolus, horrenda & abominanda mendacia de vita & gestis Messiae Θεωυβωπς ac Ecclesiae ejus initiis inter recutitam Gentem disseminans. Istam nefandum Libellum solo Latino idiomate Parti II. c. 8. pugionis sui primus inseruit R. ymundus Martini circa finem seculi a nato Christo XIII. Inde haut multo post Porchetus Salvaticus Monachus Carthusianus in suam adversus Judæos commentationem transcripsit. Lutherus denique ex Porcheto eundem Germanicum fecit, in cujus Tomo IIX Jenensi compareret. Hebraicum tandem Exemplar, quo hactenus eruditus orbis caruit, magno labore summoque pretio sibi comparatum hic evulgavit Wagenseilius. Qui præterea ad hos quinque Libros jam recensitos, Interpretationes Latinas exquisitissimas adjecit, & sedulam solidamque Consutationem, tum Carminis R. Lipmanni, tum Libri Toldos Jeshu

con-

concinnavit. In *Prefatione* autem totius voluminis, longe doctissima lectuque dignissima, *rationes*, quæ ipsum ad hos libros evulgandos impulerint, gravissimo stylo exposuit, multa simul inspergens aliqui parum in vulgus nota, de *modo*, quem *Tribunal Romanum* in *Librorum censuræ & proscriptione* observare solet., de *Talmudo Judeorum*, de *Conversionis eorundem negotio feliciter & cum successu a Christianis tractando*, deque hujus generis aliis pluribus.

In fine voluminis accedit *Mantissa de LXX Hebdomadibus Danielis* adversus *Johannis Marshami Equitis Aurati Angli* novam earundem interpretationem, qua is in *Libro*, qui *Canon Chronicus* inscribitur, ac *Londini* primum anno 1672 editus, & postea *Lipsiæ*, non sine *præfatione* tamen, ut alia, ita & hoc paradoxum notante, anno 1676 recusus est, orbi Christiano vult persuadere, finem septuaginta illarum Hebdomadum haut sane proprie ad Christum, sed ad Antiochum Epiphanem attinere, atque hunc vere significare omne illud vaticinium. Cujus novæ interpretationis accuratum examen instituens *Noster* in illa *Mantissa*, totius Christianæ Ecclesiæ, quæ est, quæ ullis unquam seculis fuit, causam mæcule defendit, & *Classici Spiritus S. vaticinii*, quo pro columna & firmamento Ecclesia semper usæ est, auctoritatem egregie contra omnia machinamenta *Marshami* tuetur.

JOBI LUDOLPHI

*Alias LEUTHOLF dicti, HISTORIA
Æthiopica, sive brevis & succincta Descriptio Regni
Habessinorum, quod vulgo male Presbyteri Jo-*
hannis vocatur.

Francof. ad Moenum. A. 1681. fol.

Magnam sane operam & curam Historiæ Æthiopicae seu Regni Habessinorum condendæ insumpsit Vir Nobilissimus & Linguarum exoticarum callentissimus Dn. *Jobus Ludolphus* S. Cæsareæ Majestati, ut & Seren. Electori Palatino a Consiliis, & hoc tempore Ser. Ducis Saxo-Vinariensis ad Conventum Francofurtensem Legatus. Nam quicquid de nominatæ gentis notitia haberi hætenus potuit, id magno ipse studio, nec minori sumptu undique collegit, convenien-

venientique post digessit ordine; præ aliis tamen multum passim tum Patrum Societatis Jesu, qui sibi Sedique Romanæ Regnum illud aliquot annis obnoxium habuerunt, Relationibus annuis, compositæque ex iis a P. *Balth. Tellezio* sermone Lusitano Historiæ Æthiopicae; tum Habessinici cujusdam exulis *Gregorii*, quo Romæ primum, post & in Germania longo tempore familiariter fuit usus, narrationibus tribuens.

Totum opus libris quatuor constat. Quorum *primum* ab Etymologia ipsius nominis, quo Abyssini vocantur, seu rectius Habesseni, auspicatur, illudque ab Arabica voce *Habesh*, mixturam seu coluvionem gentium denotante derivat, Habessenis ipsis hanc ob causam exosum. Inde situm Regni, & cœli illud ambientis solique genium, provincias, altissimos montes, flumina, metalla variis & rari generis animalia, ac plantas describit; novas etiam easque accuratiores Tabulas Geographicas pollicitus. Inter flumina *Nilus* eminet, de cujus fontibus Antiquitati tamdiu sollicitè quæsitis, ac in Habessinia tandem Patrum Societatis Jesu solertia detectis, cursu item, & duobus alveis, quorum sinistrum *Nigrin* fluvium esse pro comperto habet, curate agit: ac num diverti ab Habessinici Nilus, ne in Ægyptum fluat, sed in mare Rubrum exoneretur, possit, quod multis creditum Tellezio negaverat, non perfunctorie disquirat. Inter herbas Regionis illius ob vim alexipharmacam memorabilis ea est, quam *Assazoë* vocant. Nam tanta ejus contra venenum efficacia perhibetur, ut umbra etiam illius stuporem viperis inducat, possitque serpentes & hydros impune tollere & manibus tractare, qui radicem herbæ illius convederit. Ex quo argumentum ducitur, non alio olim, quam hujus aut similis herbæ remedio Psyllos, decantatissimam Africæ gentem, contra serpentum morsus fuisse usos.

Libro *secundo* Regum Æthiopiarum Historiam, Regnatricem Domum, formam regiminis, ac cætera, quæ Politicæ inquisitionis sunt, prosequitur. Et antiquitate quidem originis Principes orbis universos Habessini Reges superant, si, quod jactant, ab ipso *Salomone* genus ducunt. Reginam enim Sabæ, quam Hierosolymam Salomonem salutatum venisse sacre literæ testantur, ex Salomone filium *Menilebecum*, Habessinici post Regem, suscepisse, illiusque posteros ad annum usque 960 a Christo nato continua serie regnasse. Tum

I

vero

vero Familiam *Zageam* invasisse Regnum, & trecentis ac quadraginta annis tenuisse: ast circa annum Christi 1300 *Salomoneam* Familiam Regno restitutam per *Icon-Amlacum* fuisse, longo sed ambiguo commento tradunt. Quæ uti sunt incerta, sic facile fident facit Auctor, potentiam illorum Regum olim formidandam exteris fuisse; etsi non dissimulat, eam *Adelensium* primum bellis, post vicinorum *Gallanorum* vi, ac intestinis denique dissensionibus adeo fractam, ut hoc tempore Habessiniam quis in ipsa Habessinia vix invenerit.

Cæterum, tradente Ludolpho, Despotico Reges imperio in subditos utuntur; nec proprii quicquam privati, paucissimos si exceperis, habent, sed fundi omnes atque prædia Regis esse, ac precario a subditis possideri consentur. Reditus tamen Regii pro Regni amplitudine non adeo magni sunt, nec in pecunia numerata, sed in proventibus Regionum naturalibus consistunt. Aulae splendor minime ad formam Europæorum. Ne palatia quidem Reges superioribus temporibus habuere, tentoriis contenti; primusque Regi domum Europæo more hoc nostro Seculo *P. Petrus Pays*, *Gorgora* in peninsula quadam lacus *Tzanici*, ubi hybernare Rex consueverat, extruxisse memoratur. Mensæ Regiæ apparatus nullo luxu: non orbibus, non culttris, non cochlearibus appositis, imo ne salino quidem. At in eo tamen supervacaneam majestatis curam mireris, quod Principes non ipsi cibum ori admoveere sustinent, sed per famulos sibi in os ingeri ac inferciri, velut altiles apud nos aves saginantur, curant. Unum superest, quod, etsi singula attingi non patitur institui ratio, prætereundum tamen non fuit: remedium per quod regnatricis Domus concordia apud Habesinos longo tempore stetit. Scilicet ne quæ turbæ dari ab illis possent, qui sanguinis jure tumidi rapere, quam expectare imperium maluit, Reges Habessini olim filios suos quamprimum res novas moliri per atatem viderentur posse, in rupem quandam relegare, ac arcta in custodia asservare, a turbulentorum hominum commercio remotos ac suo tempore & loco e rupe illa ad Regnum prodituros, inter Arcana Status habuere. Quem morem exeunte demum superiore seculo *Naodus* Rex velut immitem, sed magno Regni, ut Auctor noster censet, malo abrogavit.

Liber tertius res Ecclesiasticas Habessinorum complectitur. Ad
Christia-

Christianam eos religionem, *Frumentii* opera, *S. Athanasii* Alexandrini Patriarchæ temporibus conversos, Habessinorum pariter, ac Græcorum Latinorumque Scriptorum auctoritate facile probatur; nec immerito ab Auctore *Cedrenus* & *Nicephorus Callistus* erroris arguuntur, conversionem Habessinorum sub *Justiniano* demum Imperatore factam arbitrati. A Catholica Ecclesia secessionem occasione Concilii Chalcedonenfis quod hodieque damnant & convitiantur, fecere, Jacobitarum Patriarcham spretis Melchitis secuti. Itaque Alexandrinæ Ecclesiæ placitis subscripserunt, neque ex illo tempore ad præsens usque seculum a Majorum religione deflexerunt. Eo vero incunte, cum Societatis Jesu Patres in Habessiniam, ut Romanæ eam Ecclesiæ subjicerent, magno numero venissent, scissi fuere in partes, Alexandrinam aliis, aliis Romanam religionem sectantibus, gravissimisque inde bellis civilibus agitati; donec ad extremum, pulsus Regno Jesuitis, avita apud illos religio prævaluit. Ejus verò ritus si spectemus, derivantur illi partim a Judæis, ut circumcisio, abstinentia a carne suilla, aliaque: partim a moribus antiquæ Ecclesiæ, ut vita ascetica, etsi hoc tempore valde soluta: partim ab Ecclesia Romana, ut oratio pro defunctis, ac sanctorum, præcipue B. Mariæ virginis, invocatio. At in aliis doctrinæ capitibus a Romana Ecclesia multum Habessini dissident. Nam ut alia taceam, nec primatum Episcopo Romano Oecumenicum concedunt, neque communioem, ut vocant, sub una probant, negantque cum Græcis omnibus Spiritum Sanctum a Filio procedere. Quæ omnia diligentissimo studio ab Auctore uberius explicantur.

Quartus liber rebus Habessinorum privatis describendis occupatur, eo brevior, quo magis & res literaria, & commercia, atque opificia sunt apud Habessenos tenuia. Neque plura nos iis, quæ excerpta ex doctissimo opere visum fuit, addimus; nisi quod veniam nobis daturum Nobilissimum Dn. Auctorem speramus, si promissi illum admoneamus, publicoque adeo rogemus nomine, ne uberioribus, quos pollicitus est, commentariis carere diutius Literatum Orbem patiatur.

*LE GRAND DICTIONNAIRE HISTO-**rique, ou Le Melange curieux de l' Histoire Sacrée & profane. Par M. Louys Moreri, Pretre, Docteur en Theologie.*

a Lyon M DC LXXXI.

Magnum Dictionarium Historicum, seu Sacrae & Profanae Historiae curiosa Permissio, Auctore Ludovico Moreri, Presbytero, Theologiae Doctore. Lugduni M DC LXXXI. in fol. 2. voll.

Lexica Historica componere aggressi multi sunt: ast palmam omnibus vasto hoc opere diligentissimus Auctor eripuit. Utique accuratum aequè ac absolutum Dictionarium Historicum lucem hactenus non adspexit; quodque mireris, annorum non ita multorum industria illud ab Auctore confectum est. Nam anno ætatis suæ trigésimo septimo fatis concessit, brevis vitæ luculento hoc illustrique monumento relicto. Continentur autem eo, usitato Lexicographis ordine.

Vitæ Patriarcharum, Judicum, Regum Veteris Testamenti; Summorum Ecclesiæ Pontificum; Patrum Sanctorum & Doctorum Orthodoxorum, Episcoporum quatuor Ecclesiarum Patriarchalium, Cardinalium, Prælatorum celebrium, & Hæresiarcharum: Vitæ item Imperatorum Romanorum, Græcorum, Germanorum, Christianæ, paganæ, Mahomedanæ religionis; Regum, Principum illustrium, & Imperatorum bellicorum; Auctorum Græcorum & Latinorum, veterum aequè ac recentiorum; Philosophorum, Inventorum artium, ac aliorum cujuscunque professionis, eruditione, scriptis aut actione quadam speciosa illustrium: Nec non Libri paulo majoris momenti ab Auctoribus editi: Opiniones singulares Philosophorum: & potissima dogmata Hæresiarcharum. Porro Descriptio Statuum, Imperiorum, Regnorum, Provinciarum, Urbium, Insularum, Montium, ac fluminum, in veteri ac nova Geographia occurrentium; ubi regionum fines, situs, ac qualitates, populorum vero mores, consuetudines, Imperium civile, ac Religio exacte referuntur: Quin & Historia Conciliorum generalium & particularium, Synodorum, Conciliabulorum, &

& aliorum conventuum Ecclesiasticorum, Descriptioni urbium, in quibus celebrata fuere, passim inserta: Item nomen, fundatio, ac propagatio Religiosorum & Militarium Ordinum, Fundatorum vita, Genealogiæ, & actiones memorabiles plurium Familiarum illustrium: Historia denique Fabulosa Deorum, & Heroum, ex antiquitate gentili.

Cuncta vero observationibus & Dissertationibus eruditis exornantur, tum pro explicandis difficultatibus Chronologicis, tum pro decidendis controversiis Historicis; quodque omnium maxime placeat, diligenti ubivis studio Auctores, iique selectissimi allegantur, quorum fide singula tradita sunt, quosque consulere possunt, qui unum alterumve uberius edoceri desiderant.

BALTHASARIS STOLBERGI,

P. Witteb.

*De Solæcismis & Barbarismis Græcæ Novi
Fœderis Dictioni falso tributis, ut & de Cilicismis aliisque a D.
Paulo nove usurpatis, Exercitationes VII. quibus varia
Scripturæ S. Nov. Testam. loca explicantur &
illustrantur.*

Wittebergæ A. M DC LXXXI. in 4.

CUM de indole styli N. Testamenti, ejusque puritate, varii proferrent commentarii, tum illud quoque in vulgus notum est, alios post *Erasmum* viros doctos inventos esse, qui ejusdem dictioni Græcæ Solæcismos & Barbarismos tribuerent. Horum sententia cum nec solidæ eruditionis gravitate subnitatur, nec utilitatis ac ædificationis quidquam habeat, inter alios eam nuper impugnandam sibi sumsit vir Græcæ doctissimus, *Balthasar Stolbergius Græc. liter. in Academia Wittebergenfi Professor clarissimus*. Qui dum aliquot illustriora N. Testamenti loca, ab hac profana cavillatione liberat, simul in *Dissertatione sexta* Hieronymi sententiam D. Paulo Cilicismos tribuentis examinat, qua occasione dicta Apostoli *Coloss. II. 18. Rom. VI. 19. 2. Cor. XI. 9. 1. Cor. IV. 3.* illustrantur.

I 3

TEL-

TELLURIS THEORIA SACRA

Orbis nostri Originem & mutationes generales, quas aut jam subiit, aut olim subiturus est, complectens. Libri duo priores de Diluvio, & Paradiso.

Londini MDCLXXXI. in 4.

Autor operis, docente Epistola dedicatoria, est *T. Burnetius*, Scriptor Anglicus; qui supra vulgus hominum philosophaturus, & quantum in ornando argumento, utut paradoxo, valeat, ostensurus, omnes, sumto a primævo Chao tenerisque rerum principiis exordio, naturæ motus & renovationes ad earundem rerum exitum supremum persequi in hac *Theoria* proposuit. *Sacram* appellavit, quod non communem telluris Physiologiam, sed majores mundi vicissitudines, quarum Scriptura sacra meminit, respiciat: alibi, *Historiam Naturalem nascentis & denascentis mundi*.

Tamet si vero duplicis generis mutationes, quas terrarum orbis videlicet aut jam subiit, aut olim subiturus est, promittat; in duobus tamen hisce libris non nisi de primo mutationum genere, quo *Diluvium*, & *Paradisum* retulit, egisse deprehenditur: reliquo, hodiernæ terræ compagis mundanæ conflagrationem, ultimamque mundi faciem quod spectat, peculiarem adhuc librum destinavit: & de Diluvio quidem prius agere, quam de Paradiso, voluit, quod ordo probandi facilius in sua sententia procedat a Diluvio ad Paradisum.

Primo ergo libro, ubi universalis Cataclysmi rationes sic exponere aggreditur, ut quomodo factus ille fuerit, a mente humana possit comprehendi, hypotheseos (quam firmæ, nos non disputamus) loco ponit, *Diluvium Universale non contigisse simplici inundatione, aut sola aquarum redundantia, sed accessisse insuper dissolutionem exterioris telluris, & subsidenciam in abyssum magnam*. Quatuor ille sectionibus constat: in *primæ* ipsum non modo operis argumentum explicat, sed simul etiam, quo armorum genere susceptam tueri causam velit: Divinis nempe monumentis & ratione naturali, seu cœlesti & naturali lumine; quanquam tutissimum esse ducat, in materia rerum naturalium respicere tantum conclusiones Scripturæ generales, summas rerum, & receptissima capita; partes vero, modos, & explicatio-

cationes speciales supplendas esse ex observationibus in ratione, scientiis, & experientia fundatis. Imò rebus naturalibus investigandis qui unice incumbunt, iis in sacrarum literarum interpretatione nihil esse admittendum censeret, quod evidenter repugnet rationi & observationibus naturalibus.

Principiis probandi constitutis, Noëti Diluvii historiam ex Sacris repetit, & rationes contra communem explicationem militantes, imò insuperabiles, quas vocat, difficultates adfert, quibus adductum se fatetur, ut Diluvium alio modo statueret contigisse. Sex enim aut octo Oceanis mari partim, partim aridæ superfusus opus esse suo quodam calculo nixus asserit, ut altitudinem maximorum montium mediterraneorum transcendant aquæ: vel, molem aquæ octoduplam totius aquæ in Oceano contentæ necessariam esse, ad inducendum terris diluvium eo modo, quo vulgo intelligi & explicari solet; Tantam autem aquarum vim nuspiam in rerum hac natura; neque in regionibus mundi superis & mediis, neque in inferis & subterraneis reperiri posse. Imò si poneretur diluvii tempore adfuisse, an exonerari postea stupenda aquarum mole terra potuerit, dubitat. Eorum denique exceptiones, qui ut objectis difficultatibus argumentum hoc expediant, vel ad novam aquarum creationem, & annihilationem confugiant, vel certos diluvio limites ponere, & particulare facere malunt, diluit.

Aliena remota hypothesi ad propriam convertitur, & qua occasione in eam descenderit, quidve generatim alii Autores de dissoluta, fracta, & deperdita terræ forma senserint, *Severianus* nempe in *Hexaemero*, *Postellus* in *Cosmographia*, & ex sacris Scriptoribus *Moses* capite *Geneseos* septimo, divus *Petrus* capite tertio *secundæ Epistolæ*, ut & *Petrini* loci autoritate motus *Augustinus de Genesi ad literam*, fusius exponit.

Sectione secunda hujus libri, refutata inter alia hæresi de tellure aeterna & ingenita, probat e Scriptura primum, hinc ratione naturali, & quidem a priori, tellurem primævam, sive quæ primum ex Chao emerfit, 1.) alterius fuisse compagis & formæ ab hodierna: 2.) totam fuisse continentem sine maris hiatu: totam lævem & æqualem, sine montibus: totam denique solidam (usque ad abyssum) sine cavernis: eoque 3.) talem & quæ dissolutioni esset obnoxia, & ex cujus dissolutione

solutione oriretur necessario universale diluvium. Quo loco plura de Chaos motibus, & transformationibus successivis, de gyro abyssi, de ovo antiquorum, quod apud *Orpheum*, *Aristophanem*, *Plutarchum*, *Macrobius* & alios celebratur, quasi per digressionem, adducuntur.

Tertia sectio ex hodiernæ telluris forma & facie, & contemplatione cavitatum subterranearum, Oceani, & Montium, tanquam ex Phænomenis quibusdam & effectis, a posteriori ostendit, regionem exteriorē terræ fuisse reipsa disruptam & dissolutam eo modo, quo ex causis antea deduxerat.

Ultima denique *sectio*, totius primi libri recapitulationem, cum quibusdam argumentorum spicilegiis, proponit, nec tantum ad ea, quæ opponi explicationibus suis possunt, respondet, sed eorum explicationes, qui eadem Phænomena ruinis partialibus, terræ motibus, eluvionibus, & subterraneis aquarum attritionibus, vel ignium eruptionibus imputant, refellit. Imo quæ hætenus de terræ dissolutione protulit, ad Planetas etiam & Planetarum maculas, sed non nisi per conjecturam, transfert. Et utinam hac in parte nihil adhiberetur, quod immotum hætenus discursum mentis, e contemplatione divinorum operum, non cœli solius, sed & terræ, immensam Artificis atque Creatoris sapientiam, potentiam, atque bonitatem æstimantis, labefactet & impediat! Utinam telluris elegantiam, & orbis ordinationem atque perfectionem non ex humani alicujus artificis cerebro æstimaret, mensura sane periniqua & admodum fallaci!

Secundus liber, qui de Tellure agit Primigenia, & de Paradiso, tribus partibus absolvitur: quarum *prima* præliminaria continet de Phænomenis Paradisi generalibus, & specialibus: *secunda* quæstionem in hoc argumento principalem tractat de Paradisi loco: *tertia* veterum de Autoris sententiis suffragia collecta sistit. Phænomena Paradisi generalia, id est, quæ reliquis orbis habitabilis cum Paradiso communia, a nostris vero seculis diversa, habuit, primo recitat; & sunt, summa cœli clementia, & æquabilitas in recenti mundo & in Paradiso: animalium ortus: hominum, quin & cæterorum animalium longævitas: egregia fertilitas soli, morumque & vivendi ratio simplex, quoad victum, habitum, cætera: vita denique facilis & beata, quorum tamen durationem inæqualem fuisse notat.

Dein monstrat, Phænomena recensita in tellure nostra, ut hodie

MENSIS MARTII A. MDC LXXXII.

die constituitur, neque reperiri posse, neque explicari juxta formam & situm hodierni cœli ac terræ, seu, quod idem est, stante hac rerum compage. Cui contemplationi dum inhæret, simul de vera causa longævitatæ Antediluvianorum: de causis senectutis in genere & brevitatæ hodiernæ vitæ, nec non de machina & constitutione humani corporis, prolixius differit, eorumque opinionem, qui annorum nomine in hoc calculo, menses, sive annos lunares menstruos volumus intelligi, confutat. Nam ex eadem semper naturæ facie, eodem tenore, & perpetua cœli clementia & æqualitate deducendam esse censet originem atque veram rationem longævitatæ antediluvianæ: vitæ nostræ vero brevitatem ab inæquali anni forma & intemperata vi frigoris & caloris corpus alternatim impetentium, provenire. Hinc propriam hypothesein reassumens, ostendere e diverso satagit, ista rerum compage, qualem libro primo jam signavit, admissa, Phænomena memorata omnia repertum ibidem iri, quæcunque alia de primævo naturæ statu hætenus vel certa ratione, vel historia innotuerunt. Nec tantum hypothesein suam, præsertim de telluris ad solem situ, non obliquo aut inclinato, sed recto, explicat uberius & ad præsens institutum accommodat; sed ab hypothesei *Cartesii*, de orbe parato & omnibus vitæ commodis instructo otiose in aere per multa secula fluitante, etiam discernit & quamvis eum habeat pro Philosophorum omnium, qui hætenus floruerunt, principe, aliquot tamen defectibus theoriæ ejus obnoxiam esse, non dissimulat. Objectioni præterea de immodico in tali Sphæræ calore, sic occurrit, ut modos adferat varios, quibus temperari solis ille æstus potuerit; causam postea mutati hujus situs ex mutato Centro gravitatis arcessit.

Phænomenis Paradisi generalibus aquarum contemplationem subjungit, tanquam Phænomenon speciale, nec ortum solum & motum, sed etiam exitum aquarum & fluviorum in primigenia tellure explicat. Pro quibus illustrandis mox de figura ejusdem terræ agit, non accurate spherica, sed ovali & oblonga, deque fluviiis, qui statis temporibus inundant. Denique cum Scripturarum dictis hætenus de primi mundi aquis asserta confert, &, quæ de constitutione primi mundi ab *Apostolo Petro*: de aquis cœlestibus, de causis Diluvii supernis, apertisque cœli cataractis: de fluviiis Paradisi, nec non de Iride, data Noë post diluvium in signum ejus nunquam redituri, a *Mosè* profes-

K

runtur,

runtur, ordine expendit eo fine, ut suæ inde theoriæ Philosophicæ aliquem cum Sacra historia consensum efficiat.

Præliminaria disquisitio excipit *de loco* aut regione *Paradisi*, cuj argumento hujus libri principali instituta. Postquam enim *Eugubium*, & Neotericorum, in Mesopotamia, vel alio Asiæ tractu Paradisum constituentium, opinionem refellit, propriam sententiam aperit, & situm Paradisi in orbe sive hemisphærio non Boreali, sed Australi (neque enim auferre telluri Paradisum voluit, quasi in regionibus aeris, aut in luna quærendus esset) cum ex inspecta primæva naturæ facie, tum ex nonnullis veterum (quos quatuor classibus distinxit) dogmatibus, quæ inde fluxerunt, adstruit: sic tamen, ut non materiam hanc tantum impeditam & vexatissimam, sed & imperfectam ejus cognitionem tandem fateatur.

In postrema libri parte, coronidis loco, Veterum de mundi ortu statuque primævo placita annectit: non in hoc quidem, ut theoriam suam aliorum testimoniis præbet; sed ut ingenia aspera & propositorum tenacia, qualia abstractis rationibus difficulter tractari possint, humanioribus argumentis, a consensu gentium, testimoniis veterum, exemplis, & similitudinibus petitis demulceat, animosque in alteram partem nimis propendentes ad æquilibrium reducat. Pro eorum vero numero, quæ tanquam nova & singularia haberi suo in opere possint, postremam partem hanc in quinque articulos distribuit.

Articulo primo suam de Cosmogonia sententiam cum Cosmogoniis aliorum confert; ac, ne quis clavi ad explicandas Cosmogonias Antiquorum necessaria destituatur, notat *primo*, Antiquorum Theogoniam nihil aliud esse, ac Cosmogoniam: & eorum Cosmogoniam nihil aliud, ac Geogoniam: *Secundo*, Antiquos omnes, qui originem terræ describunt, ex Chao rem deducere: *Tertio*, Cosmogonias Antiquorum non striete & Philosophice explicare aut terræ, aut alterius cujuscunque rei formationem, sed generatim & historice memorare mutationes, quæ advenerunt Chao: *Quarto*, veteribus Philosophis qui aut Poetæ fuerint, aut Poetarum similes, res naturales figurate exprimere & saltem adumbrare in more esse positum.

A Cosmogoniis ergo profanorum, *Orphei*, *Hesiodi*, *Aristophanis*, *Plutarchi*, *Anaxagoræ*, *Achillis Tatii*, *Empedoclis*, *Parmenidis*, & *Ægyptiorum* exorsus, quam singulorum asserta suæ hypothesei faveant, ostendit.

ostendit. Hinc ad divina transit oracula, quidque de ortu mundi prodant, ex *Genesi* *Mosis* proponit, ex *Salomonis Proverbiis*, & ex *Jobo*. Supponit vero, ad Antiquorum etiam Patrum testimonia provocans, neque mundum Angelicum, neque hujus mundi partes & regiones superiores, in mundo Mosaico comprehendi; quippe quæ eidem præextiterint per ignota secula; sed illas tantum naturæ partes, quæ ex terrestri Chao educi potuerunt. Quod ut facilius obtineat, opinionem, quæ omnia propter hominem esse facta asserit, non de toto universo exponit, sed de nostri solius mundi ambitu: Cosmopœiam dein Mosaicam cum primo, tum *secundo capite Geneseos* expressam contemplatur, & ab hac ad illam, quæ a *Salomone*, & *Jobo* memoratur, gradum promovet.

Secundo articulo, antiquam doctrinam inter Christianos de sublimi Paradisi loco, contemplationi suæ conformem esse probaturus, parum quidem sibi lucis ex *Homero* pollicetur, pensiles Alcinoi hortos recensente: ex *Hesiodo*, Hesperidum hortos ultra Oceanum locante: ex *Platone*, æthereæ cujusdam terræ mentionem faciente; apud Patres tamen, ut & sequioris ævi doctores Christianos sententiam de sublimi loco Paradisi receptissimam esse, allatis eorundem testimoniis evincit.

Tertio articulo, assertam novitatem montium, maris, & insularum non repugnare veterum placitis, duplici ratione, apertis scilicet verbis & consequentiarum nexu ostendere conatur. Nam eam in rem loca ex *Historia Scholastica*, *Glossa ordinaria in Geneseos septimum*, ex *Alcuino*, *Rabano Mauro*, & ex Beda profert; & ex eo, quod mundum antediluvianum ἀνομήγειν, sive impluvium dixerint, hunc in modum arguit: *Ubi nulla pluvia, ibi nulli montes: ubi nulli montes, ibi nullum mare: ubi nullum mare, ibi nulla insula: igitur, ubi nulla pluvia, ibi nec montes, mare, aut insula.*

Articulo quarto, quod de figura telluris primæ oblonga & ovata dictum, nec id autoritate veterum destitui, ex eorum suadet sententia, qui sive scaphæ, sive cylindri, sive nucis pineæ formam ei tribuerunt; præterque *Parmenidem*, testes hujus rei citat antiquissimos naturæ mystas ex *Philosophia Orphica*, *Phœnicia*, *Ægyptia*, *Persica*, & aliorum. Quâ occasione rursus in contemplationem doctri-

na de Ovo mundano dilabitur, ex ea cum figuram mundi, tum formam internam & modum originis derivans.

Quinto denique *articulo*, testimonia veterum, *Diogenis*, *Anaxagoræ*, *Empedoclis*, *Leucippi*, & *Democriti*, de mutato telluris situ exhibet; & quod ante hanc mutationem non alium, quam rectum terræ situm, eoque æquabilem totius anni revolutionem, sine veris, æstatis, autumnii, & hyemis vicissitudine, agnoverint, edisserit, totamque suæ hypotheseos cum veterum dogmatis contentionem sic concludit, ut Autores Antiquos non tanquam iudices a sese appellatos, sed velut testes honorarios adductos fuisse, protestetur.

Totius tandem libri Conclusio Providentiæ Divinæ Systemata Majora & Minora, intuitu mundi ideæ variantis distincta, enumerat; & quid hætenus in duobus hisce libris præstitum, paucis repetit, quidque sit in tertio sperandum nobis pollicetur.

De la Guérison des Fievres par le Quin

Quina

i. e.

De Curatione Februm per Corticem Chinæ

a Paris, 1680.

Corticis Chinæ Chinæ seu Peruviani usus per 30 circiter annos Europæis cognitus fuit, a nonnullis Præclicis commendatus, ab aliis suspectus maxime redditus. Anonymus ergo hic Scriptor, cum observavit, tanto annorum decursu, nihil vel in vegetabilis hujus febrifugi præparatione, vel exhibendi modo, a quopiam immutatum fuisse, nisi quod Medicus quidam Londinensis (*Sydenham in tr. de Morbis acutis*) illud non mox ante paroxysmum, ut hætenus factum, sed apyrexias potius tempore, propinandum esse evicerit: asserere non dubitat, si circumstantiæ necessariæ hætenus accuratius fuissent annotatæ, plus emolumentum ex hoc remedii genere in ægros fuisse redundaturum. Hinc quatuor præprimis in tractatulo hoc exponenda suscepit. sc. diversas Chinæ Chinæ præparationes, ejus vires atque effectus, modum illa utendi in febribus cunctis, & tandem, quæ ad-
versa-

versariorum objectionibus satisfacere possint. *Primum* quod attinet, varie quidem medicamentum illud, sine virium castratione, præparari posse, fatetur; in omnibus tamen compositionibus ab hoc, tanquam basi, potissimam febribus medendi potentiam esse petendam, reliquaque admixta saltem ejus activitatem juvare: adeoque ex his tria seligi, quæ illam non impendant, ipsum vero corticem proportionata dosi, de qua inferius, præscribi debere, monet. Quo facto propinari posse aut hoc remedium, vel in forma solida, sc. Boli aut Extracti, vel in liquida, nempe Tincturæ & infusi. In infusis describendis paulo prolixior observatur, parandis vel cum potulentis ordinariis, vel cum decocto hordei aut aqua appropriata, aliquid Centaurii minoris, ligni assafras, baccarum juniperi, &, pro extractione acceleranda, tartari, salis centaurii minoris, aut salis armoniaci addendo: ita tamen, ut quod cum musto factum, ratione fermentationis supervenientis, reliquis præparationibus cunctis anteponat, proximum vero locum vino medicato concedat. *Alterum*, nempe virtutem dicti medicamenti hujusque ætiologiam dum explicare satagit, præliminariter de natura & causa febrium dislerit, quantum illam ebullitionem massæ sanguinis præternaturalem, hanc non bilem, ut multis visum, sed fermentum acre sive acidum pronunciat. Cum autem cortex ille particulis penetrantibus atque amaricantibus, una cum asperitate leviter astringente, polleat, vim ejus penetrativam atque incidentem fermentum dissolvere ac dissipare, ac humorum coagulationi resistere, stypticitatem vero moderatam eorundem ebullitionem præternaturalem compescere, simulque partes solidas, quibus fermentum illud aliquid noxæ impresserat, roborare docet. Adeoque concludit, omnium tam continuarum, quam intermittentium, febrium fermentum, utpote unius ejusdemque naturæ, paucis saltem circumstantiis exceptis, hoc remedii genus debellare ac destruere, illud sc. alterando ac naturam in ejus excretionem, per vias modo sensibiles, modo insensibiles, juvando, idque eo potentius, quod reliqua ingredientia commendata corticis febrifugi activitatem intendunt. Nec inutile putat, remedio huic aliquid Laudani opii admiscere, præprimis si paroxysmi febriles vehementiores fuerint: cum hoc nimiam humorum ac spirituum turgescientiam compescat, ratione sui amaroris febrile fermentum obtundat, ac per sudorem atque insensibilem

bilem transpirationem dissipet. De cætero hoc peculiare quoque Cortici Peruviano testatur, quod potissima febrium symptomata, v. g. inflationes atque tensiones abdominis dolorificas, viscerum infarctus, anorexiam & cruditates ventriculi, alvi fluxus similesque turbas simul cum febre tollat, & quidem hoc pariter ratione suarum superius recensitarum qualitarum. *Tertia* hujus tractatus parte modus hoc medicamine utendi proponitur, ubi, postquam a Venæsectione in plethoricis & in quibus ebullitio sanguinis nimia, ac catharsis, primarum viarum evacuandarum gratia, leniore initium curationis faciendum esse dixerat, & diætam cuilibet subjecto & febre appropriatam commendarat, pro diversa paroxysmorum vehementia, ac ratione symptomatum, temperamenti, sexus similiumque circumstantiarum medicamenti dosin, assumendi frequentiam, vehiculum &c. mutare jubet. Hinc genuinum & legitimum antifebrilis hujus usum in febribus, tam intermittentibus quam continuis, malignis æque ac symptomaticis, explicat, & quidem, si sub forma vini medicati illud propinetur; licet ad eandem normam cæterarum formularum applicatio disponi valeat. In febribus intermittentibus & harum potius principio, medicamentum hoc non sub initium, sed finem paroxysmi exhibet, nec in hoc ratione destitutus, & quidem partitis vicibus, usque ad ingruentiam subsequenti accessus: repetendo illud singulis apyrexiiis, donec paroxysmi cessent, quod brevi contingere spondet; ita tamen ut ad minimum corticis drachmæ sex vel uncia una cum dimidia interim in infuso consumantur, hujus vero singulis dosibus uncia quatuor circiter hauriantur, imo, pro recidivæ præcavenda, ejus usus per octiduum, & quod excurrit, finita febre, continuetur. In febribus continuis, post universalia pariter præmissa, febrili turgescencia potius aliquantum subsidente & quidem in minore dosi, Chinam Chinæ, sive cum vino infusa fuerit, exhibet: Sin vero cum decocto hordei & absque vino, mox in principio quoque & loco potus ordinarii. In febribus lentis & symptomaticis, nisi hæ inveteratæ admodum & a visceris nobilioris singulari vitio dependeant, eandem, ac in continuis, utendi rationem suggerit, quo nimirum fermentatione aliquo modo sedata, facilius postmodum febrium ejusmodi causis mederi liceat. Post febres cum decubitu seu affluxu humorum, v. g. pleuritidem, contra malignas quoque, quarum

rum fermentum acrius & activum tantum magis supponit Autor, singularem etiam hujus specifici efficaciam deprædicat, quatenus non saltem dictum fermentum illud obtundat, sed ad diaphoresin quoque disponat. Post usum denique ejus & febre sublata, purgationes leniores & repetitas commendat, purgantia cum cortice hoc febrifugo combinando. *Tandem & quarto* objectionibus tribus solennioribus, quas contra usum hujus remedii movent, respondet. Quarum prima, quod hoc nullam evacuationem sensibilem præstet, adeoque nec causam morbificam, nec recidivæ metum, tollat; altera, quod calidius illud sit, & cum calidis, v. g. vino, ut plurimum propinetur, hinc æstum potius febrilem intendat, quam imminuat; tertia, quod ejus usum recidiva crebrius excipiat. De cætero non dubitat Noster, pro aliorum quoque morborum, ab acido fermento emergentium, v. g. affectionis hypochondriacæ, hysteriæ, obstructionis lienis, evacuationum solennium suppressionis, medela hoc remedii genus, per experientiam propriam commendare, adeoque ad Experimenta ulteriora, in his similibusque pathematis adornanda, potissimum cum nullum periculum usui hujus corticis substat, hortatur.

THOMÆ SYDENHAM MED. D.

Epistola Responsoria dua: 1. de Morbis Epidemicis ab anno 1675 ad 80. 2. de Lue Venerea.

Londini in 8. an. 1680.

Occasione observationum, circa morborum acutorum, & præsertim Epidemicorum historiam & curationem, ab autore olim editarum, *Robertus Brady*, Med. D. Cantabr. literas ad eundem dedit, in quibus tria postulat. 1. ut si quæ reserent observationes febrium annorum nuperrime elapsorum, easdem communicare, 2. usum corticis Indici, circa febrium curationem exponere, 3. Rheumatismi citra sanguinis copiosas profusiones curam, explicare velit. Quæsitis his in prima Epistola Responsoria satisfacit Autor: & quidem quoad prius istud, observat, anno 1676 morbillos, & hinc exeunte æstate choleram, gravioribus convulsionibus comitatam sævisse, non nisi aucta, & crebrius repetita dosi opiatorum curabilem. an. 78.

epi-

epidemice admodum fuisse grassatas febres intermittentes, speciatim tertianas & quotidianas, easque facillime in continuas degenerantes, & loco intermissionis, saltem remittentes: anno 1679 easdem febres immanissime debacchatas fuisse, donec mense Novembri tussis epidemica, convulsivæ puerorum tussi similis, suborta fuerit, per V. S. & Catharsin repetitam, ac Vesicatorii ad nucham applicationem, profligabilis. Quoad quæsitum alterum febribus istis intermittentibus quibusvis, etiam continuis redditis, ceu probatissimum convenire remedium asserit Corticem istum Peruvianum: argumenta, ob quæ quibusdam male audiat, ceu vana rejicit: & ex eo, quod minus opportune ægro ingeratur, nec sufficiente dosi propinetur, quicquid cortici imputatur, accidere asserit. Unde non ante paroxysmos, more vulgari, sed post eosdem, atque adeo diebus vacuis, sedulo, & aucta insigniter dosi exhibendum eundem monet. Quoad 3 denique, Rheumatismum loco V. S. diætâ simplici admodum refrigerante, & mediocriter nutriente, æque feliciter profligari posse, speciatim sero lactis, usu ejus per aliquot dies continuato, & quidem in subjectis junioribus, macilentis, & diætâ minus lauta utentibus, affirmat, id quod observatione notabili in plenioram rei fidem confirmat.

Cum porro autor simile opus de morbis chronicis promississet, hujus promissi memoriam ipsi refreuit *Henric. Paman* D. Med. missa ad eum epistola, & ut in arrhabonem reliquorum Luis venereæ curationem explicaret, ab eo petiit. Satisfacit huic Autor in Epist. II, & præmissis quibusdam de ejus origine & propagatione, ipsam curandi rationem succinctam & perspicuam, facillimamque suggerit. Quoad originem, arbitratur, luem hanc esse morbum endemicum regioni cuidam Nigritarum *Guineæ* conterminorum, a cujus incolis, ut sibi pro mancipiis inservirent, emptis Hispani infecti, primi morbum in Europam intulerint. Propagationis rationem facit duplicem, per generationem & per contactum mollioris cujusdam partis, qui maxime fiat in coitu. Attamen & nutrices ab infantibus inquinari affirmat, & ipsos infantes, præ adultis, ob laxiorem, & rariorem corporis habitum facilius infici, adeo ut simplex infantis cum infecto concubitus, illum contagio contaminare valeat. Hinc progressum luis juxta symptomatum seriem persequitur, & tandem

curan-

curandi rationem duplicem docet: 1. quando adhuc intra gonorrhoeæ virulentæ terminos consistit, 2. quando ulteriori progressu, totum jam corpus occupavit. Gonorrhoeæ curam principaliter per cathartica, eaque diutius continuata instituit, quæ inter, pervicaciori in malo, turbith minerale ad gr. viij extollit. Ipsam vero luem, altius ubi intra corpus penetravit, per salivationem cum hydrargyro aggreditur, ceu unicam extirpandi hujus morbi rationem: ut ut Mercurium, non secus ac decocta lignorum, non vi specifica sive alterativa simpliciter, sed saltem communi evacuativa, hic prodesse asserat. Provocat eam litu simplici ex axung. porcina cum Mercurio vivo & debitum ejusdem regimen, si forsan hypercatharsis superveniat, aut salivatio minus procedat, aut hæc excedat, &c. una subjungit.

JOH. GEORG. GREISELII, D.

*TRACTATUS MEDICUS, DE CURA
Lactis in Arthritide.*

Budissin. Anno M DC LXXXI. in 12.

Cum scandalum Medicorum Podagra audire soleat, siquidem tot, Ceorundem moliminibus contumaciter nihilominus reluctatur, posthabitis generosioribus ac fortioribus Pharmacis, ad mitiora Dietetica auxilia accessum facere Medici nonnulli instituerunt. Hæc inter Lactea Dieta primatum obtinet, de qua rite in Podagra administranda Autor hujus scripti tractat: lactis naturam primum explicando, & ejusdem pro Podagra debellanda usum; tam rationibus illustrando, quam exemplis confirmando. Specialis contentorum enarratio, ex priori editione desumpta, videatur in Miscell. Acad. Nat. Cur. anno 1. obs. 141. p. 312.

EHRENFRIDI HAGENDORNII

*CYNOSBATOLOGIA, ad NORMAM
Academiae Naturæ-Curiosorum adornata.*

Jenæ 1681. in 8.

Idem hujus tractatus autor est, qui ante triennium circiter de Terra Catecha sive Japonica scripsit. Præsentem materiam ita tractat, ut post Onomatologiam Cynosbati, ejus Physiologiam seu vegetandi

getandi rationem tradat: & quidem tam in genere, ex hypothesi *Dn. Grevv*, ubi de forma, loco natali, communi æque ac proprio sive speciali, de ejus speciebus & longævitate differit; quam in specie i. e. in partibus ejus singulis, sc. in radice, trunco, foliis, floribus, baccis, arillis, lanugine, spongiis harumque vermiculis. Occasione radices hujusque succi nutritii, qui per hujus orificia frutici communicatur, quomodo dispensatio ejus contingat, disquirat, partimque suctionem, partim pororum habitudinem, partim pulsionem, cum solis aerisque motu admittit.

In florum antheris quod observatur, alcohol coloris crocei sulphur vegetabile pronunciat, hujusque occasione alcohol liliorum alborum in urinæ suppressione, & summitatum pini in phthisi magnarum virium perhibet.

Dum de arillis sive acinis agit, hos elychonii flammæ expositos, ratione medullæ oleaginosæ ignem promptissime concipere, & in flammam cœruleam se diffundere, propria observatione testatur.

Lanuginem, quæ arillos ipsamque baccarum pulpam crinosa veste obvelat ac succingit, ubi considerat, qua ratione cuti pruritus, linguæ vero saporem diutius inhærentem hancque vellicantem inferat, quærit, ac utrumque a fibrillarum ejus textura acuminata seu harum cuspidulis dependere suspicatur. Hinc de natura Moxæ, Lanuginis illius Japonicæ, cujus usum causticum in Podagra curanda alias deprædicant, differit, simulque huic succedaneum quoddam ex gossipio nitrato producit.

Spongiæ Cynosbati muscum quendam comosum vocat, in cujus meditullio callosa & cavernosa substantia contineatur, vermiformis certæ progeniei receptaculum. Alveolos hujus meditullii ovula putat, in quibus, tanquam matrice, vermiculi illi generentur, quorum formam per microscopium observatam ac figuris expressam describit, ac ovulorum illorum ortum rimatur. Vermiculos hos per tempus hybernium intra alveolos suos latitare, vernoque demum, postquam in musculas seu cantharidulas abierint, eosdem, hætenus quidem prædarios, nunc vero pernives & pluvias friabiliores redditos, erodere atque effringere, docet.

Quibus absolutis præparata pharmaceutica cynosbati hujusque partium recenset, & quidem tam usualium, quam singularium &

& horum conficiendorum modos describit. Hinc ejusdem Cynosbati usum therapeuticum sive medicum, ac tandem œconomicum tradit.

PHILOSOPHIA NATURALIS,
Auctore WOLFFERDO SENGUERDO,
Philosophia Professore.

Lugduni Batavor. anno 1681. in 4.

Auctor Prælectiones suas Physicas in Academia Lugduni Batavorum anno 1680 habitas, pluribusque Experimentis non exili pretio comparatis illustratas, in compendium hoc redegit. Ipse nulli sectæ addictus, inter Cartesianos & Democriteos modernos medius, hypotheses ad effectus naturales demonstrandos ingeniose accommodavit.

Parte I. de Principiis & Affectionibus generalibus Corporum agens, inter cæteras demonstrationes, duas memorabiles habet. Una ostendit causam arctissimæ connexionis hemisphæriorum multa vi & pondere indissolubilis, quam magna cum verisimilitudine ingeniosi viri nuper gravitati aut pressioni aeris adscripserunt, esse impeditum circulum & successionem corporum, qualis in omni motu datur. (p. 45) Altera probat liquores adscendere descendereque, vel etiam hære in tubis retortis, non ex aeris pressione, quam itidem allegant recentes Philosophi, quoniam liquorum per tubum retortum motus procedit, ubi nulla datur aeris pressio, sed ipsam gravitatem liquorum efficere phænomena (p. 63.)

Parte II de Mundo & Situ Corporum ac de Corporibus cœlestibus in specie, Systema Tychonicum amplectitur. Cometas propria & nativa lucere luce opinatur, ex cœlesti substantia genitos; modos generationis & desitionis varios speculatur (p. 149.)

Parte III de Corporibus sublunaribus vitæ carentibus tractans, Aeris gravitatem & vim elasticam repetitis experimentis nuper re-
 pertis confirmat, meteororumque generationem explicat. Dein Globum Terraqueum considerat, ejusque partes præcipuas, Aquam, Ignem & Terram cum corporibus terrestribus, quæ vulgo mineralia vocant,

& singula quidem hæc tum quoad internam constitutionem, tum quoad affectiones suas expendit.

Parte IV. de viventibus, in Plantas & Animalia distinctis, ostendit, ut ad Plantarum productionem requirantur particulae majores aereæ, quibus deficientibus semen non pullulat; ut plantæ primo erumpant ex semine veluti ovo quodam; ut accrescant & ramulos forment; ut flores, fructus & semina proferant; ut per radicem ramulorum in terram inflexione, eorum a matrice separatione & terræ impositione, suctione, insitione, oculatione aliterque multiplicentur.

Tandem de Animalium differit semine, Generatione, Respiratione (nec aquatilibus prorsus deneganda), Fame & Siti, Nutritione & Accretione, Motu, Sensibus.

NEPOS SAXONICUS (der Sächsishe Nepos.)
A JO. GEORGIO WILCKIO compositus.

Lipsiæ ap. Joh. Frideric. Gleditsch, A. 1682. in 8.

ET si operæ pretium facturus sit non leve, qui Serenissimæ Domus Saxonicae res illustres, justo ordine ex diversis scriptorum monumentis collectas, in unum historiae corpus redigere instituat; tamen etiam eorum opera non contemnenda est, qui ob alias causas, diversas illius historiae partes, insuper habita temporis ratione, in usum juventutis exponere aggressi sunt. Id quod fecit nuperrime JOH. GEORGIUS WILCKIUS, Illustris Scholæ Misnenfis Rector, vir Clarissimus. Ipse enim, ut una opera pubem Scholasticam assuefaceret puriori Latinitatis sermoni, & simul Heroum Saxoniorum illustri notitia eandem imbueret, singulari cura & studio *Nepotem Saxonicum*, Germanico idiomate composuit. In quo juxta bonæ imitationis regulas ostendit, ut memorabilia inclutæ gentis Saxonicae exempla, pura ac tersa Æmili Probi seu Cornelii Nepotis phrasi describi, atque simul discantibus in Schola, historia Saxonica familiaris reddi queat. Quod genus imitationis ut virile omnino est; ita Autor doctissimus librum hunc non dubitavit illustri quasi antepagamento ornare; orationem puta panegyricam ad Serenissimos Duces

ces Sax. Juventutis Principes augustæ spei præmissam. Qua multa
 αἰγιοννηυόεντα de Heroibus Saxonis commemorat, atque orato-
 rum more illustrat.

VOYAGE d'ITALIE CURIEUX ET

Nouveau, a Lyon. 12.

Iter Italicum novo & accurato studio adornatum.

Lugduni 1681. in

AUctorem hujus libelli Præfatio indicat esse *Huguetanum* Lugdunen-
 sem advocatum: qui e peregrinatione Italica redux regionum,
 urbium, portuum, hortorum, monumentorum & aliarum observatu
 dignarum rerum historiam, prout quævis se oculis ipsius obtulit, in li-
 teras misit, & quædam ab aliis non observata exhibuit. Quibus *Jac.*
Sponius Med. Doctor Lugdunensis, vir celeberrimus, duas adjecit ap-
 pendices, quarum altera catalogum palatiorum, ædium sacrarum,
 vinearum, bibliothecarum, pinacothecarum, & hujusmodi aliarum,
 quæ hodie Romæ visuntur, præstantissimarum rerum, clarorum item
 eruditione virorum, qui ibidem hodie vivunt, recensum exponit; al-
 tera, universæ Italiæ præstantium virorum, qui doctrina aut artificiis
 inclaruerunt, & vel hodiernum vivunt, vel paucos ante annos diem
 suum obierunt, conspectum exhibet: quem maximam partem e *Gre-*
gorii Leti Italiæ regnante petiit.

TRAITE DE L'ORIGINE DES NOMS

Et des surnoms par Messire Gilles Andre de La Roque.

Tractatus de origine nominū & cognominum,

autore Wilh. Andrea Roquio. a Paris 12. 1681.

HÆc pars est majoris Operis, quod molitus est autor *de Insignibus*
gentilitiis, quod trecentis capitibus absolvi in Præfatione indicat.
 Nimirum quum ad artem explicandorum insignium, quam *Hemldi-*
cam vocant, cum primis pertineat intelligere rationem nominum &
 cognominum, eam in libello hoc persequi propositum sibi habuit: si-
 quidem diversitatem eorum, proprietates, mutationesque tam apud
 Veteres quam hodie apud Gallos, Hispanos, Anglos, Germanos. Polo-
 nos, Suecos, Danos, Italos, aliasq; gentes, exponit: Ordinum item seu

Societatum illustrium, tam Ecclesiasticarum quam Secularium, ortus & autores recenset; & alia quæ eo spectant ex historia prisca & hodierna illustrat, variasque jucundas, quæ circa nominum vel impositionem, vel expositionem, vel mutationem oriuntur, quæstiones tractat.

SOMNIA QUINQUAGINTA FR. MACEDO, in Itinerario S. Augustini post baptismum. Mediolano Romam: excutiebat levi brachio P. Fulgentius Fosseus Augustinianus S. Theol. Prof. ad Reverendissimum ac Sapientissimum Patrem D. Johannem Mabillon Congreg. S. Mauri, Ord. S. Benedicti. Lugduni Batav. 4.

EMiserat in publicum de Incarnationis Mysterio opus Franc. Macedo, adjecta ad calcem prolixiori disputatione contra monachatum S. Augustini, cum Appendice Itinerarii Augustiniani. In quo cum asserat, Augustinum illico, postquam susceperat baptismum, anno ætatis trigesimo tertio, Mediolano Romam profectum, nec Centumcellis commemoratum fuisse, & natum A. 355, baptizatum A. 388. mortuum A. 431, aliaque complura de Augustino ejusque matre, baptismo, Episcopatu &c. afferat, Fosseus refellit omnia, & somnia esse ex eburnea Pennoti *Histories Tripartite* porta quæ prodierint, confirmat. Titulus locum impressionis Lugdunum Batavorum profert, sed typus indicat Parisiis libellum hunc fuisse excusum.

**EXCERPTUM EX EPHEMERIDIBUS
ERUDITORUM PARISIENSIBUS.
NOUVELLE CONSTRUCTION DES EQUA-
tions completes de deux Dimensions, par
M. l'Abbé de Catelan.**

i. e.





Nova Constructio Æquationum completarum duarum Dimensionum, per Dn Abbatem Catelanum.


Ex Diario XXVII. I. Dec. 1681.

Proponit hic Autor sequentem novam Constructionem completarum Æquationum, duarum dimensionum, quam simpliciore & generaliorem Cartesiana profitetur.

Omnes

TAB. V *ad A. 1682. pag. 87.*





Omnes *Æquationes* duarum dimensionum ad quatuor species reducuntur, duabus formulis generalibus, yy aut $by = Zz + az$, & yy aut $by = az - zz$, comprehensas, quas idem Autor hoc modo construit: *Fig. I. II.* Ductis duabus lineis rectis indefinitis, BC & DE , (*juxta Schema Ephe- III, IV. meridum: in Figuris autem adjectis sufficiat lineas, AB, AH, acceptas esse; BC enim & DE, nec commodum exhibere, nec necessarium visum fuit*) in puncto A se interfecantibus, in una harum, ex gr. DE , ex puncto intersectionis accipit partem AH , æqualem semissi lineæ datæ a , & in altera BC , partem AB , æqualem longitudine ipsi y . Porro si *Æquatio F. I.* sit yy , pro prima forma, circulum centro H , intervallo HB ; & pro secunda, alium centro A & intervallo AH , describit, intra cujus circumferentiam paralleliter transfert lineam AB (*ad P: quo facto Radix z pro prima forma (Fig. I.) emergit $\frac{AD}{Ad}$; pro secunda, PH, & Pb.*)

At quando *Æquatio* est by : abscissa ex extremitate B , de linea AB , parte BG , æquali datæ lineæ b , quam minimam supponit duarum y & b , differentiam earum GA bisecat in M : post, pro prima forma, facto rectangulo $MAHL$, centro L , intervallo LB , circulum describit; e contra, pro secunda forma, immediate centro M intervallo MH alium describit, intra cujus circumferentiam uti prius (*in Fig II*) transfert totam AB . *Æquationis Radix z* est perpetuo AD (Ad) in prima forma, & PH (Pb) in secunda, quando linea AB aut y minor est radio AH aut $\frac{a}{2}$, alias enim Problema est impossibile.

Demonstratio hujus fundatur in natura circuli & proprietate chordarum intra circumferentiam se mutuo secantium, unde etiam dependet constructio *Æquationis* by vel $yy - zz$, qui non nisi particularis casus est præcedentis constructionis, & de quo non est facienda regula generalis, quia raro magnitudo $\frac{a}{4} + by$ aut yy , rectangulum, aut quadratum perfectum est, nec ad lineam rectam reduci potest, nisi descriptis certis triangulis similibus, quæ constructionem intricatam reddunt.

Huc usq; textus Diarii Gallici, cui tamen intra parentheses salis literis, quæ ad explicanda diagrammata deesse videbantur, adjecimus. Schematismum vero Ephemeridum Gallicarum immutare tantisper &

in

in quatuor peculiares distribuere necessum nobis fuit, ut constructioni sua constaret integritas. Nam & binarum formularum *Æquationes*, nisi immutatis textus literis, duobus diagrammatibus exhibere non licuit; nec literæ Exemplaris Gallici mentem Autoris ubiq; exprimebant satis: cum & primo Schemati circulus intervallo *AB* ductus deesset, & in altero (quod & ipsum circulo ex *M*, intervallo *MH*, ducendo destitutum) recta *AB* major ipsa *AH* applicationem redderet impossibilem.

Adjunximus autem Figuram *V* tam, quæ unica omnes *Æquationum* memoratarum formula comprehenduntur; methodo a laudati Domini Catelani non multum absimili. In ea

$$\begin{array}{llll}
 \left. \begin{array}{l} AH \\ Ah \end{array} \right\} = \frac{a}{2} & \left. \begin{array}{l} AD \\ Ad \end{array} \right\} = bH & \left. \begin{array}{l} AG \\ LB \end{array} \right\} = y \mp b & FA = AP \\
 \left. \begin{array}{l} AB \\ Ab \\ FH \end{array} \right\} = y & \left. \begin{array}{l} BT \\ GL \end{array} \right\} = b & \left. \begin{array}{l} AL \\ GB \end{array} \right\} = \frac{y}{2} \mp b & GH = LK \\
 & & & LH = GO \\
 & & & AK = AK
 \end{array}$$

$$\begin{array}{l}
 \text{Unde si sit} \\
 \text{Æquatio}
 \end{array}
 \left\{ \begin{array}{l}
 yy = zz \mp az \\
 yy = zz \mp az \\
 yy = az \mp zz \\
 by = zz \mp az \\
 by = zz \mp az \\
 by = az \mp zz
 \end{array} \right\}
 \begin{array}{l}
 \text{Radix } z \text{ emergit} \\
 \left\{ \begin{array}{l}
 HD. \\
 Hd. \\
 HP. \\
 Ph. \\
 KH. \\
 Hk. \\
 HO. \\
 Oh.
 \end{array} \right.
 \end{array}$$

Huic Fig. *V* ita Cartesianam subjungimus methodum: cui ne quid circa *Æquationes*, quarum una pars est *by*, deesset, media, inter *b* & *y*, proportionalis inventionem, quam superfluum duxit Cartesius, adjecimus; ut posita *AB = y*, & *BT = b*, *BH* fiat $= AD$: *Æquationum* radicibus, per rectas *DM*, *DE*, *AF*, *FK*, exhibitis. Hæc autem, an Dni. Abbatis constructio, simplicior sit, Lectoris esto decernere: nobis, Dominum Catelanum, ex cognatione, quam cum solutionibus solidorum per Circulum & Parabolas habet, universalitatis suffragium præ Cartesianam tribuisse, dum Ipse de hac re forte certiora prodat, conjectasse suffecerit.

